



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorum Omnium Generalium Et Provincialium Collectio Regia

Ab anno DCCCCX. ad annum MLXXIII.

Parisiis, 1644

Vita Et Epistolae Nicolai Papae II.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15625

NOTA.

* *Epistola Stephani.*] Ex bibliotheca Papirii Massoni hæc cum quatuor Nicolai, & sexdecim Alexandri II. ad Geruasium Rhemensem archiepiscopum scripta prodiit in lucem. In vita Stephani, Nicolai & Alexandri II. Papirus pro *Geruasio* scripsérat *Vvilielmo Rhemensi archiepiscopo*: illum ego antea male imitatus, in hac editione, pro *Vvilemo, Geruasio* scribendum esse censeo: siquidem horum pontificum tempore non *Vvilielmus* aliquis, sed *Vvido*, & *Geruasius* primus, ut videre est in catalogo Rhemensium episcoporum, qui est apud Floidoardum, Rhemensi ecclesiæ præfuisse legitur: non ille vero *Geruasius* alter est, cuius Iuo epistola 206. & Sigeberti continuator anno 1114. meminerunt, vixitque tempore Paschalis II. ad quem epistolam quamdam scripsit, quam habet dictus Papirus in vita eiusdem Paschalis II.

ANNO
CHRISTI
1058.

VITA ET EPISTOLÆ
NICOLAI PAPÆ II.

NICOLAVS, cui nomen erat Gerardus, ex Florentino episcopo per cardinales ab Urbe fugatos legitime electus est pontifex Romanus anno Christi 1058. tempore regnantis Henrici IV. Antequam vero consecratur & Romam mitteretur hoc consilio Hildebrandi prudenter egerunt, ut ad expellendum & facilius eiicendum e sede schismaticum Benedictum, legatione ad imperatricem missa, approbatio Henrici regis postularetur, ne si fortasse hac re intermissa rex sibi iniuriam illicitam existimans schismaticis adhæreret, & intrusum defendens periculum schismatis augeret. Placuit consilium, petita & obtenta est approbatio electi Nicolai pontificis, simulque Godefrido Tusciae marchioni demandatum fuit, ut electum in Urbem introducat, & inuasorem sedis Benedictum inde eiiciat. Quod cum, teste Leone Ostiensi, mense Ianuario anni 1059. effectum fuisset, consecratus, & Nicolai secundi nomine appellatus, Romanæ sedis inuasorem cum suis fautoribus omnibus excommunicauit: tandem interuentu quorumdam admissum ad communionem apud ecclesiam sanctæ Mariæ, quæ Maior a Romanis dicitur, sacerdotali officio priuatum manere constituit. Berengarium secundo re-

Nicolaus
quando &
qua ratione
electus.

Benedictus
sedis inua-
for eiicitur.

Concil. Tom. 25.

D d d ij

Berenga-
rium rela-
psum ad
communio-
nem ecclæ-
sæ recepit.
lapsum & periurum tertio ad palinodiam, pœnitentiam,
& fidei orthodoxæ professionem emitteandam suscepit.
Constitutionem de electione Romani pontificis edidit.
Ad Mediolanensem ecclesiam a labe simoniæ expurgandum Petrum Damiani & Anselmum Lucensem in Roma-
no pontificatu successorem allegauit.

Northman-
ni confe-
derantur
cum ponti-
fice.
Obitus Ni-
colai.
In Apuliam profectus Northmannos ab excommuni-
catione absoluit, eosque exacto iuramento fidelitatis
Romanæ ecclesiæ deuinxit, ut ea horum præsidio fulta
& munita tyrannidem & rapinam omnem a sede apo-
stolica profugaret. Mortuus est pontifex optimus in fine
mensis Iulii, anno Christi millesimo sexagesimo, cum se-
disset annos duos & sex menses. Vacauit episcopatus men-
sibus ferme tribus.

EPISTOLA I.

NICOLAI PAPÆ II.

AD VVILIELMVVM RHEMENSEM ARCHIEPISCOPVM.

Henricum Francorum regem ob quædam perperam
facta corripit.

*Nicolaus episcopus seruus seruorum Dei Vvilielmo venerabili
archiepiscopo salutem cum benedictione apostolica.*

LIET de vestra fraternitate quædam sinistra, nec si-
ne discussione dimittenda, peruerent ad apostoli-
cam sedem, scilicet, quod eius inuasoribus fauerit, quod
pontificales actus postposuerit; tamen, quia testimonio
personæ non leuis defenderis, scilicet potius de fideli-
tate sancti Petri laudaris, * præmissa transimus, & vt ve-
rum sit de vobis testimonium optamus. Vos autem om-
ni conamine studete ita viuere, vt vestri non habeant
inimici, vnde nos possint in vos contristare. Scitis enim
quam benigna vobis fuerit communis mater sancta Ro-
mana ecclesia, quamque de te magna ei fiducia, vt tua so-
lertia Francorum posset succurrere pene lapsæ ecclesiæ.
Proinde agere stude, quod de te sperauit apostolica sedes:
& vestrum regem gloriosum castiga, precare, admone,
ne prauo nitatur pessimorum consilio, qui nostra discor-

* præmis-
sa

dia putant se apostolicam censuram euadere, caueatque
sacris Canonibus, imo beato Petro, resistere, nosque, qui
eum sicut pupillam volumus amare oculi, contra se mo-
uere. Satis enim mirari potest, si pro aliquo stulto, sicut
est, quem voluit ordinari Matisconensis episcopus, vult
Dominum & sanctum Petrum offendere, vestram carita-
tem atque sinceram dilectionem circa se parui pendere.
An putat aliquis membrorum antichristi, quod plus non
possit ei prodeesse gratia beati Petri, quam omnium im-
piorum perfida fidelitas? Agat itaque gloriosus rex, ut li-
bet, contra nos quamvis: pro illo eiusque exercitu Deum
semper precari parati sumus. De duce vero Godefrido ne-
mo vos terreat, cum fuerit opus vos venire Romam: quia
non tantum vobis impedimentum non faciet, sed etiam
fideliter seruitum impendet. Salutant vos, carissimi fra-
tres, nostri cardinales episcopi, nec non humilitas carissi-
mi filii nostri Hildebrandi.

E P I S T O L A II.

N I C O L A I P A P A E I I.

AD GERVASIVM RHEMENSEM ARCHIEPISCOPVM.

Iubet Beluacensem episcopum simoniace promotum cum
Siluanevensi eiusdem criminis conscio
ab officio suspendi.

*Nicolaus episcopus seruus seruorum Dei Geruasio venerabili
archiepiscopo Rhemensi salutem & apostolicam
benedictionem.*

AV DIVIMVS relatione multorum, quod Beluacensis
episcopus contra statuta Canonum sine vobis, & sine
vestro assensu fuerit consecratus, imo execratus, &c, quod
peius est, ad episcopatum sublimatus. Accingimini igitur,
& fultus hac nostra auctoritate ex parte omnipotentis
Dei, auctoritate beati apostoli Petri, omne episcopale of-
ficium sibi, vsquedum ad Romanam Synodus in tertia
septimana post pascha ante nos discutiendus veniat, in-
terdicite. Si autem in aperto res est, quod pecuniam dede-
rit, omnibus Beluacensibus clericis ac laicis, ut sibi ante
prædictum nostrum iudicium non obediant, sub excom-
municatione prædicti apostoli Petri auctoritate interdi-

D d d i i

cite. Non enim ob hoc promotus est, vt sit episcopus, vt beatus Gregorius dicit, sed vt fiat lupus, & sanctæ ecclesiæ inuasor, & detestandus hæreticus. Siluane&tensi enim vestro suffraganeo episcopo, si eum pecuniam dedisse præscivit, & vestrum assensum in maledictionis herede benedicendo non habuit, similiter omne episcopale officium, vsquedum ad prædictam Synodum veniat, & nobis & tibi digne satisfaciat, beati apostoli Petri auctoritate interdicite.

EPISTOLA III.
NICOLAI PAPÆ II.
AD EVMDEM.

Monet vt ob damna personis & rebus Virdunensis ecclesiæ illata eidem debite satisfaciat.

Nicolaus episcopus seruus seruorum Dei Geruasio Rhemensis ecclesiæ archiepiscopo salutem & apostolicam benedictionem.

QVONIAM nobis commissum est, & auctoritate beati Petri traditum, supra quem fundamentum vniuersalis ecclesiæ solidatum est, quatenus & errata corrigamus, & membra nostro capiti cohærentia, ne dissonent, studeamus, tibi, vtpote velut de nostris & sanctæ Romanæ ecclesiæ membris, paterne intimando præcipimus, quatenus per te, quem in gremio matris tuæ, vniuersalis videlicet ecclesiæ, conclusum esse speramus; ne Virdunensi ecclesiæ quæ nobis commissa est cum fratribus, quidquam iniuriæ tam per te, quam per tuos inferre amodo patiaris. Quod autem contra eiusdem ecclesiæ fratres nunc nouiter & tu & tui damni & iniuriæ intulisti, communiter & sanctæ ecclesiæ Romanæ causa, & nostri amore emendare te, omni occasione remota, admonendo iubemus, hoc est prædam de Postuiler, quæ potestati tuæ contigit, & de Mecla, quam Engobrandus deprædatus est, prædæ, cuius numerus infra scriptus est, ducenta sexaginta quatuor animalia, clericos autem de eadem ecclesia canonicos, nulla interueniente mora, recludi a capture præcipias, vt pro hac & prædictis rebus studiose peractis, & gratiam apostolorum principis & nostram habere promerearis.

EPISTOLA IV.

NICOLAI PAPÆ II.

AD EVMDEM.

In gratiam recipitur, & monetur ut cum duce N.
pacem ineat.

*Nicolaus seruus seruorum Dei Geruasio venerabili archiepiscopo
salutem & apostolicam benedictionem.*

QVIA referente filio nostro G. te in fidelitate beati Pe-
tri persistere, eiusque auctoritati per omnia reueren-
ter assurgere comperimus, paterna caritate sicut carissi-
mum filium amplectimur, & amplectendo toto mentis
affectu diligimus. Denique quamdiu te fidelem filium ex-
hibebis, nostra paternitas tibi nusquam deerit; imo de-
bita caritate suffragabitur, nostraque auctoritate incel-
santer tuebitur. Quod de episcopo Siluanectensi nobis
per filium nostrum mandasti, quia canonicum est, cum
eodem filio nostro tibi concedimus. Neque enim iustitiae
contraire volumus, pro qua mori, si necesse sit, lucrum
putamus. Ceterum de nostro aduentu in Franciam nul-
lam ad præsens tibi scribimus certitudinem. Cum autem
ad te noster filius venerit, ipse tam de hoc quam de om-
nibus aliis te certificabit. Mandamus autem & præcipi-
mus, quatenus cum duce carissimo filio nostro pacem in-
neas, ut tui ad nos secure valeant venire, nosque eos pos-
simus audire: nolumus etenim duos tam carissimos fi-
lios in discordia manere.

NOTA.

Epistola quædam Geruasii ad Nicolaum II. extat in fine illa-
rum quæ cum epistolis Gerberti, Ioannis Sarisberiensis, & Stephani
Tornacensis ex bibliotheca Papirii Massoni Parisiis impressæ sunt
anno 1611. sed eam a Geruasio II. ad Paschalem II. scriptam esse
patet, primo ex vita Paschalis II. apud Massonum vbi hanc ad Pa-
schalem II. scriptam refert: secundo quia scripta est post obi-
tum regis Philippi, qui mortuus est anno 1106. tempore Paschalis II.
& Iuonis, qui epist. 206. eiusdem Geruasii II. meminit.

PRIVILEGIUM

MONASTERIO SANCTÆ FELICITATIS
CONCESSVM A NICOLAO PAPA II.

Nicolaus episcopus seruus seruorum Dei Tebergæ abbatissæ monasterii sanctæ Felicitatis, iuxta Florentiam siti, sibiique successoris, & in sancto proposito permanensuris in perpetuum.

QVONIAM omnipotentis dignatio suo gratuito munere, nullo digno præcedente opere, ad hoc nostram humilitatem dignata est prouehere, quatenus per nos vbiique terrarum proprio sanguine redemptæ ecclesiæ lumen administraret indeficiens; profecto rationabile ducimus, cooperante ipso, de quo loqui præsumimus, secundum proprias vires vnicuique acceptum talentum distribuere, ne, apparente ipsius maiestate, quod absit, sine acquisito lucro velut inutilis seruus videamur remeare. Quod vtique per diuinam misericordiam consequi posse speramus, si membris eius adhuc per fidem in terra cælestia anhelantibus, præsidia quæ possimus sereno affectu suppeditare curamus. Sic enim, sic profecto & supernum nostræ fragilitati conciliamus auxilium, & pura intra cordis hospitium manente intentione, hominum consequimur fauorem honestum. Cum licet vniuersis debitores simus gentibus, fidei lumine clarentibus; domesticis quoque nostris benevolentia studio singularem curam impendimus, Magistrum gentium sequentes, qui bonum opus adimpleri præcepit in omnes, ad domesticos fidei maxime. Monasterium itaque sanctæ Felicitatis cum omnibus sibi pertinentibus rebus, quod nostra episcopalis simplex adhuc dispensatio quorumdam prædecessorum nostrorum negligentia destructum, coaptato nobilium sanctimonialium plurimarum collegio, reædificare curauit ex integro; nunc etiam secundum apostolicæ sedis, cui deseruimus, valentiam, per nostras manus dedicatum, stabilitate perseveranti roboramus, & confirmamus, atque ut perpetua vigeat religione, sequestrata prauorum infestatione, omnipotentis Dei committimus tutelæ.

telæ. Cui etiam, sicut dignum nobis videtur, quia incuria Florentinorum episcoporum sua prædia nequiter sunt distracta, & sacrilegorum quorumdam temeritate inuasa, concedimus, & apostolica au&toritate stabilimus mansos, & fundos venerabili loco pia deuotione oblatos, & offrendos, vbi cumque veraci relatione eius nomini fuerint titulati, suoque iuri religiosa sollicitudine inuestiti, atque inuestiendi.

Liberum præterea idem reddimus monasterium, atque absolutum ab omni sæculari & mundana conditione, siue distinctione, ne liceat alicui magnæ paruæque personæ a nobis restituta prædia, firmiterque stabilita, decimales, prouentus scilicet, quoque quosdam a nobis concessos aliquo ingenio euadere, aut aliqua fraude surripere, siue diminuere, fiscum denique, seu debitam subiectionem exigere: sed maneat venerabilis locus nostra tutela firmatus in sancto proposito; nullique alii sit obnoxius, nisi Florentino episcopo, qui memor nostræ deuotionis, suæque fragilitatis, iustitiae norma seruata, secundum Doctoris gentium præceptum, eisdem sanctorialibus honorem congruum exhibendo, nil præter blandum dominium requirat ex debito. Si autem, quod non credimus, aliquis temerarius hanc apostolicam sanctionem crudeli mente tentauerit infringere, nostramque institutionem secundum locum lèdendo cassare, nisi admonitus resipuerit, ac digne emendauerit, anathematis gladio percutiatur ab omnipotenti diuinitate, iaculata sibi de cælo vltione in hac præfenti carne, interficiatque eum Deus Spiritu oris sui, dum venerit iudicare sæculum. Qui vero nostræ roborationis pius conseruator extiterit, in secundo aduentu mereatur illam mellifluam vocem audire: *Venite Benedicti Patris mei,* Matt. 25. *percipite regnum.* Præterea ut hæc pagina fidem legentibus astruat, & propriæ manus subscriptione & apostolici sigilli munire studuimus impressione.

† Sigillum Nicolai papæ.

Ego Bonifacius Albanensis episcopus subscripsi.
 Ego Ioannes Portuensis episcopus subscripsi.
 Ego Petrus Lauicanensis episcopus subscripsi.
 Ego Brunus Prænestinus episcopus subscripsi.
 Ego Petrus peccator monachus subscripsi.

Concil. Tom. 25.

Eccc

Datum Florentiae sexto Idus Ianuarii, anno ab incarnatione Domini nostri Iesu Christi 1059. per manus Humberti sanctæ ecclesiæ Silvæ candidæ episcopi, & apostolicæ sedis bibliothecarii, anno primo pontificatus domini papæ Nicolai II. indictione decimatertia.

EPISTOLA V.
NICOLAI PAPÆ II.
AD EDVVARDVM ANGLORVM REGEM.
De confirmatione priuilegiorum ecclesiæ Vestmonasteriensis, quam in honorem sancti Petri apostoli rex fundauerat.

Extat infra in Conuentu Vestmonasterensi anno 1066.

CONCILIVM SVTRINVM,
ANNO CHRISTI
1059.
QVO BENEDICTVS PSEVDOPAPA ET
schismaticus, cognomento Mincius, depositus, omni-
que sacerdotali officio priuatus est, anno M LIX. tem-
pore Nicolai papæ II. electi.

NOTA.

[Concilium.] In hac Synodo inuasorem sedis apostolicae Benedictum depositum, omniq; sacerdotali munere priuatum esse, & postea veniam a pontifice petuisse, habetur, inquit Baronius in codice Vaticano, qui inscribitur *Liber censuum*. Idem testatur vetera Romanorum pontificum gesta, quæ collegit Nicolaus Aragonensis cardinalis his verbis: *Celebrata itaque in pace electione (ut dictum est) Senis dictus Nicolaus pontifex cum archidiacono & cardinalibus consilium habuit, ut pro causa iam dicti Velitrensis intrusi apud Sutrium Synodum celebraret: ad quam non solum episcopos Tuscia & Lombardia, sed & magnum Godefridum, & Guibertum cancellarium conuocare deberet. Quod absque dilatione factum est. Pradicatus autem Mincius ubi Nicolaum papam cum personis, quæ apud Sutrium conuenerant, in Synodo residere cognouit, sedem quam inuaserat, conscientia remordente, reliquit, & in domum propriam remeauit. Quod factum posteaquam Nicolaus pontifex rei veritate cognouit, consilio cum fratribus habitu, ad Verbum una cum eis, non cum potentia, sed tamquam bonus & humilis pastor accessit. Unde, auctore Domino factum est, quod cum a populo & clero digno honore suscepimus, iuxta consuetum ordinem a cardinalibus in sede apostolica positus est. Transactis autem paucis diebus, memoratus Mincius ad pra-*